

APPENDIX, PRO DON DIONYSIO SANCHEZ MVÑOZ.



ON putaui commodiori aliquo modo dubijs exactissimè & doctissimè ab integerrimo Domino D. Francisco de Mirauete causæ Relatore Aduocatis Don Dionysij oblatis posse fieri satis, quam si analyticam quandam expositionem illis, ac veluti commentum proponerem.

Primum dubium.

a *IN re dubia alio non docto,* [a] *præsumptionem capi debere videtur, foros Turolenses vigere in Castro, seu Pardina de Escriche, & eius terminis tempore illius executionis factæ. Cũ vtraque pars fateatur intra limites territorij Communitatis Turolensis, dictam villam, seu pardinam de Escriche, illiusq́; terminos constitutos esse.*

b *terminos constitutos esse.* [b] *Præsertim considerata proximitate adeo magna terminorum de Escriche, cum terminis Ciuitatis*

c *Turoli, quippe, cum illis confrontatur:* [c] *Vltra quam præsumptionem (quæ sola de perse sufficiens est, liquidissimamque*

d *efficit probationem)* [d] *plena eius rei oritur probatio, tam ex mul-*

e *tis, varijsque instrumentis* [e] *exhibitis in processu, eorum aliquibus productis a Dionysio Sanchez Muñoz, quam ex testium etiam dictis, & attestationibus. Quæ probatio multis ex*

f *causis videtur superior* [f] *probatione pro Dionysio Sanchez Muñoz confecta. Imo etiam si inferior esset numero testium, præferenda tamen fore videtur probationi Dionysij Sāchez Muñoz propter vim quam sumit* [g] *ex instrumentis, &*
g
h *præsumptione* [h] *supradicta. Præsertim attentis Rubricis,* [i] *&*
i *inscriptionibus dictorū fororum Turoli, & etiam inspectis literis narratiuis dictæ executionis in hoc processu exhibitis, in quibus narratur, Iustitiā de Escriche fecisse executionem, & venditionem curiæ huius pardinæ de Escriche, iuxta foros Tu*
k *roli,* [k] *quæ omnia insinuare videntur Castrum, seu pardi*
l *nam de Escriche, & eius terminos ligari eo tempore* [l] *foris Turolensibus.*

a *In re dubia, alio non docto.* Inquit, in dubio, & alio non docto præsumptionem capiendam esse pro vsu, & obseruantia fororum Turolensium in Castro, & terminis de Escriche tempore licitationis, & executionis ipsius: Principio autem, ne in equiuoco versemur, distinguendum arbitror, nam si dubitaremus, an Escriche pro formali consistat, intra limites Comunitatis Turoli, nec essemus certi, quibus foris regeretur, minimè inficiarer, quod ex situ præsumeretur portio ipsius, suisque foris gubernari Cassen. *in consuetu. Burgun. Rub.* 9. §. 1. *num.* 2. *versi. consuetudo.* Horati. Carpanus *ad statu. Mediola. c.* 130. *nu.* 7. *p.* 1. Si vero dubium non est (prout nullo modo esse videtur) quin pro formali intra eosdem limites non consistat, nec sit de eadem Comunitate, disceptatio, & ambiguitas hæc ad factum, & probationes hac de re factas, videtur pertinere, quasi hypothesi constituta, quod sub incerto versaremur, circa obseruantiam dictorum fororum, aut generalium Regni in castro, & terminis de Escriche pro formali extra limites Comunitatis, ac propterea intra Regnum Aragonum consistente, cōtraria præsumptio sumēda esset, vt infra. Magis tamē esse videtur apparere potius exuberātius, foros gñales Aragonum semper viguisse, & obseruatos fuisse ibi, quam particulares Turolenses, ex his, quæ latissime retuli in discursu antecedenti, *num.* 58. *vsque ad num.* 82. quæ hic repetere, supernacaneum esset. Ex quibus sanè non illiquide apparet, hac in re omnia rimando, tēporaque, imo & sæcula cuncta perscrutando, ante executionē, in executione, & post illam ad foros Aragonum generales, oppidum de Escriche fuisse populatū, illisque gubernatum. Sicuti & pleraque alia municipia, quæ limiti-

mitibus quoque Cõmunitatis Turoli pro materiali circumclauduntur, vt inferius quoque apparebit. Proximitas, ac vicinitas Castri de Escriche ad ciuitatẽ Turolensem, & quod ab ipsius incolis possideretur, & gubernaretur, prębuit (non inficior) ansam aliqualem qualem quoque interferendi obseruantiam inibi fororũ Turolensium, sed arbitror nihilominus Dominos meos iudiciũ, quod spectamus, ital aturos, vt non hac vel illa rei circunstantia de per se attenta, sed ab integro toto facto, vniuerso tempore, vniuersisque probationibus, illarumque circunstantijs examinatis, & velut sub perpendiculo positis, fore arbitraturos, non solum verosimilius, & probabilius, sed & constantissimũ esse, foros generales Aragonum, & non Turolenses inibi viguisse, & obseruatos fuisse. Fingamus enim, quod huius grauissimæ litis decisio ex toto penderet ex obseruatione horum, vel illorum fororum in Escriche, necessario tunc, ac præcisse decernere debuissent nostras, ab alterius partis, probitiones, vt tandẽ vrgentiores, & probabiliores, cæteris posthabitis, veritatem processalem, id est, publicam fidem constituerent. At, vbi ad id eatur, prout est necessario eundum, quãuis partim solum decisio causæ inde dependeat, minime dubito, quin longe superiores, & verosimiliores sint censendæ probatio nes Don Dionysij, quam Ciuitatis: Adstipulãtibus præsertim tot foris Turolensibus, & etiam generalibus Aragonum, quot enumeraui in discursu *ex nu. 23. vsque ad* 28. Quibus accedũt plures, quos infra recensebo.

b *Villam, seu pardinam de Escriche, illiusque terminos constitutos esse*. Sæpe distinxi in prioribus scriptis, *ex numer. 33. vsque ad num.* 54. inter cõsistentiam materialem, & formalem, siue vt nostri loquuntur, de per se, aut accessoriè alicuius municipij, intra limites Prouinciæ, Comitatus, Communitatis, Diœcesis, Districtus, Territorij: Pro formali enim, seu accessoriè, ac dependenter, ea villa, seu castrũ, consistit intra Comitatum, vel territorium, quod pars est illius homogenea, idest, eiusdem, qualitatis, & rationis, eiusmodi sunt Albarrazinum, Turolum, & omnes illarũ Aldeæ, & Villa de Mosqueruela, quæ (licet alibi sita) eisdem connectitur, & adijcitur, sub præcisa connexionis ratione, & accessoriè. Pro materiali autem, & principaliter, de perse, & independeter, ea villa seu Castrum consistere dicitur intra limites Commitatus, aut Territorij, estque eius pars pro materiali tantum, & ex accidenti, pars inquam æthereogenea, idest, non eiusdẽ rationis, & qualitatis cum Comitatu, & Territorio continente, sed omnino diuersa, quæ inibi cõsistũt solũ quo ad sitũ. Exẽpla nõ sunt aliunde petenda, cũ vtriusq; exfacto nr̃i processus resultent aptissima, & apertissima. Villa enim de Mosqueruela in disputatione præsenti, ante aggregationem pro materiali situ, consistebat intra limites generales Aragonum, & omnino extra Comitatum & Terri-

Territorium vtriusq; ciuitatis,& ambarũ Cõmunitatũ: consistebat tamen sub diuersa ratione,&qualitate, nec ad disputationẽ nr̃arũ pro formali erat pars, aut portio Regni, cum tamen ratione situs extraComunitatẽ,&intra Regnũ cõsisteret. E conuerso,multæ amplissimæ villlæ consistebant eadẽ materiali consistentia in centro earundem Cõmunitatum,& territoriorum suorum, verum consistebant non accessoriè, nec pro formali, nec sub eadem identifica ratione, & qualitate, sed sub prorsus diuersa. Ad effectum autem aut obseruandi, aut præsumendi obseruantiam legum Prouinciæ, aut Comitatus in castro, vel villa, neutiquam attenditur situs,& materialis cõsistentia,sed formalis,quod vel appareat eiusdem esse iurisdictionis, ac de ipsius pertinentijs,vel saltem ignoretur an sit districtus, & alteri addicta,vt in exemplo (quod aptissimum est)Comitatus Tholosæ,respectu Regni Franciæ,quod retulit Bart. *in l.si conuenerit. §.nuda. ff.de pig.actiò.* vbi, quia ille Comitatus datus fuit Regi, vt ipse esset Rex, & Comes, non quod Comitatus efficeretur de Regno, resoluit Bart. suis legibus, & non Francigenis esse gubernandum, vbi in indiuiduo probauit distinctionem hanc consistentiæ principaliter, ac de per se, vel accessoriæ ad obseruantiam legũ.Hinc pulchrè Anto.de Butrio *in c.fi. de consi. num.*63.strictius docuit oportere, quod castrũ, seu villa subijciatur ex toto ciuitati, vt habeat iura ipsius, & secundum illas guberne-tur,& præcedentem distinctionẽ pulchrè cõfirmat,adijciens,quod ad hoc,quod iura ciuitatis influãt in castrum,vel villam vnitam, oportet, quod sit adiuncta, vt Comitatus ciuitatis, id est, vt pars ciuitatis: & deinde in versi. *Tangit Bartolus,* explicat benè doctrinam Bart. *in d. l. si conuenerit.* §. *nuda.*& exẽpla refert. Quod extra dubitationem est, cum vt statim videbimusComitatus, seuProuincia illa Turolensis ex ciuitate, & aldeis, ac villa de Mosqueruela consistat,ac proinde sub ea appellatione solum cõtinebantur villæ, & castra ad eam pertinentia. *Bald.in l.*1. *in prin. nu.* 3. *de offi. præf. vrbis. Dec.consi.*17. *num.*2. *Hierony. de Monte. de finibus reg. c.*8. *Carpanus d. c.* 130. *num.* 11. Constatque in partium concordia Castrũ de Escriche nõ esse pro formali, de Comitatu Communitatis, sed quid in iurisdictione distinctum ab ipsa,sicut, & in alijs: Turolũ enim solum contendit ob vicinitatem suos foros in ea obseruatos fuisse, nequaquam autem inficiari potest, Escriche, sicut,& alias villas situatas materialiter intra illius Prouinciæ limites esse de Regno Aragonũ, cuius etiã pars Turolũ fuit &est,proinde nec inficiari iure potest in dubio,obseruari censendũ esse in illis omnibus,foros gñales Regni, & nullomodo particulares Turoli,probat singulariterCarpa.*ad stat.Medio. c.*175.*nu.*18.*p.*2.ijs verbis: *Hinc infertur,quod terræ separatæ, alij territorio non vnitæ, seruare debent statuta locorum a quibus sunt separatæ, vt hic disponitur, quod idem de iure communi ita Bart. in tract. Tybe-*

Tyberiadis, Rub. Insula. ver. nullus. numer. 10. *versi. mihi dicendum videtur. Alexan consi.* 151. *num.* 5. *vol.* 2. *Barba. consi.* 4. *num.* 11. & 12. *in* 1. *Alcia consi.* 77. *num.* 2. vbi loquitur de loco Anconæ separato a Comitatu, & Ducatu Mediolani. Cephal. infra referendus, signanter declarat Galia *in consuetu. Alexandriæ, præf.* 8. *ex num.* 70. *ad* 101. Quibus pulchrè conuenit Fel. *in c. Rodulphus de rescrip. num.* 19. dicens, Comitatū significare territoriū villarum, vel castrorum, quod est pertinens ad ciuitatem, ita quod gaudet, eiusdem priuilegijs, & constituit eandem Rempublicam. Ex quibus decisiuè in terminis patet, seclusa omni probatione, qui fori obseruarentur in Escriche, forti, & vrgenti iuris præsumptione existimandū esse ꝙ generales Aragonum, cuius semper extitit pars & portio, & non Turolenses, cùm Turolo nunquam fuerit vnita, tametsi pro materiali sit separata quo ad situm a Regno. Quæ omnia præcissius procedunt in nostro casu, in quo non solum Escriche, & cæteræ villæ, non aldeæ Cōmunitatis, semper extiterunt pars Regni, sed & ipsa quoque Communitas Turolēsis, licet illa quo ad foros deper se ante aggregationem extiterit.

Et ex instrumento possessionis captæ per dictum Sanctium de Heredia leuissimū ducitur argumentū, quia ex abundantiori cautela capi potuit possessiò, sicut & apud nos quotidie capitur: Imo, & in eo instrumēto legitur, quod Iustitia de Escriche condemnauit Ioannem Iofrè, intra decem dies: Quæ condemnatio nō erat iuxta foros Turoli, & ex ea cessarent illæ aliæ, quas contigisset fieri ad nouē per Iustitiā de Escriche. Sōniantur ne forsan isthęc aut imaginātur, vel Platonicę Ideę sunt? Minimè gentium, sed sincera, ac realis veritas, è verissimis, & certissimis Phlosophiæ, ac Iuris prudentiæ visceribus deprompta, quæ si non corporis, at certè mentis oculis, cernuntur, ac velut manibus tanguntur, nec in cōtrouersiam vocari posse videntur. Modo non commisceamus præcedentem inspectionem probationis, obseruantię horum, vel illorum fororum, sed inuestigemus, dato (prout semper in hac causa certissimum extitit) partes contendentes agnouisse, nec negare potuisse, villam de Mosqueruela materialiter in Regno, & extra limites Communitatum, formaliter vero, & accessoriè de Communitatibus fuisse, & è contra Exeam de Albarrazino, Moram, & Escriche, & alia pleraque municipia quoque pro materiali situ constitisse intra territorium Communitatum, non tamen accessoriè, & tanquam partes illarum eiusdem rationis, sed de per se, & independenter, & tanquam partes superioris continentis, Regni videlicet, in his terminis seclusa omni probatione, apertissimi, & indubitatissimi iuris esse videtur, quod si dubitaretur de influxu, & obseruantia fororum Turolensium in villa de Mosqueruela, quamuis materialiter sita intra limites Regni Aragonum, admisso tamen quod sedet pro for-

mali,& accessoriè intra Communitatem, siue mauis quod est de ipsius pertinentijs, aut appendicijs, & quod gubernatur cum ipsis, in dubio præsumeretur legũ Turolensium obseruantia in eadem. Sicut & etiam admisso per partes, quod Exea Albarrazinensis, Mora, Escriche, & alia oppida consistunt, materiali consistentia, intra Communitates, non tamen accessoriè, sed principaliter & independenter ab ipsis: cum omne quod non sit de ipsis, sit de Regno, & consistat intra eius limites pro formali, fiet inde necessario, & ineuitabiliter, seclusa omni probatione, in his omnibus villis, & in Escriche in dubio præsumendam esse obseruantiã fororum Regni, cuius pro formali sunt portio & pars, sicut in villa de Mosqueruela ex contraria presuppositione, cõtraria quoque in dubio vigeret presumptio. Hæc est nostra toties repetita cãtilena, quod aduersarij in proposito amphibologiam contrahunt ineuitabilem, quoniam ex quo Escriche consistit in situ materiali intra limites territorij Turolensis, fateri nos arbitrentur, quod pro formali intra eos consistat: cũ tamen id, & constanter negemus, & abnegent vniuersus processus, & vtriq; fori. Quo fit, quod cũ indubiè potius vtraque pars litigans admittat, pro formali Escriche nõ cõsistere intra limites Cõmunitatis: admittit inquãeam considerando alterius naturæ, substantiæ, qualitatis, dominij iurisdictionis, & territorij, presũptionem obseruantiæ legum consistentiam formalem, accessoriã, & dependentem requirere, & cõcõmittari, non autem materialem, quæ de per se, ac independẽter solam situationem præsefert, quæ est in proposito attendenda. Cum enim conueniamus Escriche non esse de pertinentijs Cõmunitatis credenda est de per se Vrsillis ad Afflict *decis.* 311. *ad finẽ.* *Hora.Carpan.d.c.*130.*num.*4.

c *Quippe, cũ illis cõfrontãtur.* Sicut magis ac minus in vera Philosophia, nec in iure differẽtiã nõ cõstituũt, nec rerũ substãtias alterãt, ita facile põderatio hæc quæ alioqui vrgẽtiorẽ redderet præsumptionẽ, obseruãtię fororũ Turoli in Escriche, quanto illi propriùs accederet, vt punctim considerant Hierony. de Monte, *de finibus regundis.c.* 83.*nu.*2. *Carpanus, d.c.*130.*nu.*7. ita quoque cum partes concordent, quod non stat accessorie, consequenter, nec sub eadem ratione, sub qua Aldeę, sed sub omnino diuersa, ponderatio non solum cessat, sed in aduersarios reflectitur: cum teneat hæc cõsequentia. Partes concordant, quod pro formali, & substantiali Escriche nec fuit, nec est Aldea communitatis, nec de eius iurisdictione, sed quid distinctum: Ergo efugere non poterit, quin sit pars, & portio Regni: Igitur in dubio, & omni probatione seclusa, iuxta foros generales Regni, cuius est pars pro formali, & non secundum foros Turoli, a quo pro eodem formali independet, populatã, & gubernatã fuisse præsumendum est.

d *Liquidißimamque efficit probationẽ.* Imo nullam, imo pro don Dionisio vrgentem, detecta antecedenti

ti amphibologia, & æquiuocatione cum præsumptio præsupponeret non solum consistentiam quo ad situm materialem, sed pro formali intra territorium Communitatis Turoli, & hanc, nec processus, nec partes admittunt.

e *Varijsque instrumentis exhibitis in processu.* Dominationis vestræ futurum est iudicium, quænam instrumenta præualere debeant in proposito: semper tamen videntur aptiora, & concludentiora don Dionysij, ex his, quæ diximus antea, *numer* 56. *&* 57. eo magis, quod solẽnitates, quæ contra D. Dionysium ponderantur, facile ex abundantiori cautela introduci potuerint, nec præcise quoq; gñalem fororũ Aragonum obseruantiam tollunt, vt ibi animaduerti: & instrumenta, quæ pro don Dionysio vrgent, apertiora videntur, vt ex collatione illorum apparebit, & potissimum ex instrumento donationis villę de Escriche factæ a Canonico Garsia Martinez de Marzilla Sancio de Heredia nepoti suo, in quo dicitur clare, quod offerebatur fidantia saluitatis, satisficiẽdo foro Aragonum, & etiam fuit insinuata, vt illi foro Aragonum satisfieret. Et quamuis motiuum Regij Senatus dixerit, D. Dionysium sibi ipsi intulisse præiudicium ex instrumentis exhibitis, quod & præsens dubium repetit: nihil tale ex ipsis instrumentis resultat, quoniam quamuis in eo præfatæ donationis instrumento, renũtiat donans exceptionibus, quæ possent sibi competere ex foris Aragonum, vel Ciuitatis Turoli, id non pertinet ad substantiam actus. Et licet illa quo que requisita ex foro Turoli essent obseruanda, contrahentes autem, destinationem animi, ad foros Aragonum intenderunt.

f *Videtur superior, probatione pro Dionysio Sanchez Muñoz confecta.* Imo testibus inter se perpẽsis, & illorũ rationibus, superior est probatio D. Dionisij, vt latè in antecedentibus.

g *Propter vim, quam sumit ex instrumẽtis.* Longe magis testes don Dionysij corroborari videntur ex instrumẽtis, & ex ea antiquissima iurisfirma Garsiæ Martinez de Marzilla.

h *Ex præsumptione supra dicta.* Hæc tantũ esset locũ habitura, vel vbi certi essemus, Escriche consistere pro formali intra limites communitatis, & sic adiacere Turolo, & ab eo pẽdere, vel quidem ancipites, an consisteret, & adiaceret, nec ne? in dubio enim hæc caperetur præsumptio, & ex ea subsultaret alia, quod gubernaretur, & esset populata ad leges Turoli. At cũ certi simus Escriche nõ consistere intra limites Turoli pro formali, alię duę inde oriuntur, & pullulãt consequentiæ. Ergo est pro formali intra limites gñales Regni. Igitur negotio absq; probationibus perpẽso, ad foros Aragonũ generales populata, & gubernata, censenda est.

i *Rubricis, & inscriptionibus dictorũ fororũ.* Sępissime dolui, leuidẽse hoc argumentum tanti habitũ fuisse, & tamen flocci, & nihilo, tot integras dispositiones fororum, & Turolensium, & Aragonum, ex quibus vt ponderaui *d. num.* 33. nostri discursus, clare elucet, foros illos Albarrazino, & Turolo, suisque Aldeis, & præter eas, soli villæ de Mosquerucla datos fuisse, quod è præsum

ptione, in manifestam transit probationē, q leges illæ sui origine, & cōstitutione, alia appida, nec Escriche minime attinerent, nec cōprehēderent, & vltra cōmemoratos, vrget primo, quod statim post inscriptionem libri, *in versi. Quales fueros*, habetur distinctio inter foros generales totius illius terræ, & particularium vniuersitatum, facta tamen commemoratione ambarum ciuitatum, & suarum aldearum, & villę de Mosqueruela dūtaxat.

Secundo, *Foro Por quanto, fol.* 10. *col.* 1.

Tertio, *Foro Como hallemos, fol.* 12 *col.* 3.

Quarto, *Foro Por quãto, fol.* 16. *col.* 1

Quinto, *Foro Item porque experiẽcia, fol.* 17. *col.* 2.

Sexto, *Foro Desseando. fol.* 46 .*col.* 3.

Septimo, *Foro E de algunos tiempos. fol.* 50. *col.* 1.

Octauo, *Foro Item por quanto experiencia. fol.* 69. *col.* 1.

Nono, *Foro muchas vezes. fol.* 76. *col.* 1.

Decimo, *Foro A la altercacion. fol.* 75. *col.* 1.

Vndecimo, *Foro Nos Don Iayme. fol.* 76 .*col.* 4.

Duodecimo, *Foro Primeramente, por obuiar. fol.* 89. *col.* 1.

Decimotertio, *Foro Estatuymos. fol.* 90. *col.* 1.

Decimoquarto, *Foro Item, que sobre el officio. fol.* 91. *col.* 4.

Decimoquinto, *Foro Item si algũ comissario. fol.* 92. *col.* 3.

Decimosexto, *Foro Ordenamos. fol.* 94. *col.* 1.

Decimo septimo, *Foro Estatuymos fol.* 94. *col.* 4.

Decimo octauo, *Foro Que a instãcia. fol.* 89. *col.* 2. & alij per multi, quibus dilucidè passim apparet in dispositiuis tangentibus statum communem illius terræ, semper restrictiuè legum illarũ latores fuisse loquutos de duab⁹ Ciuitatib⁹, & suis aldeis, & villa de Mosqueruela.

Ac deniq; decisiue forus Turolēsis *La Ciudad y aldeas. fol.* 8. *col.* 3 idē clare statuit, ijs verbis, *La Ciudad y aldeas de Sãta Maria de Albarrazin y Teruel y sus Aldeas, y villa de Mosqueruela (segũ dicho es) tiene por si fueros, priuilegios, y costũbres distinctos, y separados de los fueros y costũbres del dicho Reyno de Aragõ.*

Et vt prorsus animus cōquiescat legatur (si libet) For⁹ cui titulus est, *Incorporatio Ciuitatis, &c. fol.* 5. *col.* 4. inter eos, qui compilati fuerunt anno 1565. vbi enumerantur omnia oppida, ex quibus consistunt Communitates, inter quæ nec Escriche, nec aliæ villæ, quæ non sunt aldeæ enumerantur. Quæ & etiam solum fuerunt aggregatę anno 1598. Legatur, & quoque sententia serenissimi Regis Ioannis inter Turolum, & suas aldeas, & villam de Mosqueruela, super iurisdictione, in qua semper de aldeis, ac villa præfata loquutus fuit, nulla habita commemoratione aliorum oppidorum: Quæ omnia articulũ constituunt extra disceptationem, longe magis, quã in terminis Abbatis *consi.* 52. *num.* 7. *versi. Condescendo ad tertium. in* 2. *resoluentis ex c. cum causam. de probatio. & ex l. si arbiter. eo. tit. & Inno. in c. illud. de præsum.* vel solam commemorationem obiter factam, quod Castrum, vel villa sit de Comitatu, aut Prouincia, accedentibus testibus ex auditu, plenissimam inducere probationē, vide

Co-

Comitatu censeatur, & vt regatur statutis, & legibus illius.

k *Iuxta foros Turoli.* Actus is impugnatur, & de ipsi9 viribus vniuersa contentio est: nec trahi in consequentiam potest, nec mirum si Turolensis Iudex in executione nulliter procedens, asseuerauerit literas narratiuas decernens, vel aliàs, iuxta foros Turoli executionem, & venditionem factam fuisse.

l *Ligari eo tempore foris Turolensibus.* Quinimo ex omni processu vrgentioribus & concludentioribus probationibus, (quibus & ius commune, & vtrique fori assistunt,) contraria consequentia colligitur, & insinuatur, eo tempore, antea & postea Castrũ, & pardinã de Escriche, & suos terminos ligari, & gubernari foris Aragonũ, nõ Turolensibus.

Summa igitur praecedentium sit, quod tametsi ambiguae fuissent probationes vtriusque partis circa vsum, & obseruantiam horum, aut illorum fororum in Escriche. At certe in dubio, cũ non dubitemus pro formali consistere in Regno, esseque de ipsius Comitatu, & solum pro materiali consistere in Communitate, nec esse de ipsius pertinentijs, vrgentissima iuris praesumptione existimandum fore longe, ac longe magis ad foros Aragonum esse populatam eam villam, quam ad foros Turolenses, cũ illi, vniuerso Regno sint cõditi, ij vero, perculiariter, limitatiue, ac taxatiue Albarrazino, Turolo, Aldeis vtriusque, & villae de Mosqueruela, & pecualiare est legũ, & statutorũ, vt obseruẽtur, in loco vbi, & cui descripta sunt, Bal. *in l. 1. ad finem. C. de arbitris. Ias. in l. 2. num. 19. C si contra ius, quos, & alios referens probat Carpanus 1. p. ad statuta Mediolani, in Praeludijs, ex num. 8.* Ex indeque cum veritas sit processalis infalibilis, quod fori generales sunt descripti toti Regno, sicut Turolenses particulariter dictae terrę & opidis ipsius, eadem infalibilitate certissimum est villam de Escriche, sicut & alias materialiter connexas, & adiacentes Turolo, non illis legibus, sed proprijs gubernari: sic vltra allegatos in puncto docet Carpanus *d. 1. p. ad statuta Mediolani. c. 153. num. 3.* ex ratione, quam proposuerat eo loci *num. 1.* Quod iuris praesumptione, statuta Ciuitatis seruantur in Comitatu, si illius terrae peculiaria iura non habuerint, ex Castrensi *consil. 39. nu. 2. in 2. Soci. Senior. consi. 271. nu. 2. in 2. Galia ad consuetud. Alexandriae, praefa. 8. num. 71. Bursato consi. 189. latissime ex num. 36.* vbi *num. 38.* pulcrha seq̃uetia verba litis nostrę decisiua protulit. *Regulare est enim, & omnibus iuris professoribus indubitatum, statuta particularia terrae, villae, ciuitatis, vel castri principaliter de per se, vt hic considerati, nec alteri accessorie, nec totaliter vniti, seruanda, & attendenda, non autem statuta dictae ciuitatis, vel Comitatus principalis, de cuius iurisdictione, & districtu inferior dicitur, ex communi, & recepta doctrina Bartoli in l. si conuenerit. §. si nuda. vbi Socin. post Castren. & Salycet. de pignora. actio. quam ita esse attestatur Alexan. ibi num. 10. & Ripa nu. 16. de lega. 1.* refert alios innumeros Doctores Bursat. hanc sententiam late comprobans. Quae omnia vrgẽtius & securius nostro in casu locũ sibi vendicant, in quo non solum villa de Escriche, sicut

& aliæ ex toto Turolo, aut eius Communitati non sunt vnitæ, nec quo ad leges suppositæ, habentq; alia distincta iura, verum præcise sunt vnitæ superiori dominanti, & & continenti, Regno videlicet Aragonum, vt quamuis situs ratione, separatæ ab illo censeantur, subiectæ nihilominus sint maioribus Regni magistratibus, vt notauit Angel. per illum tex. *in additio. ad Bart. in l. 1. C. de metropol. Beryto. lib. 11. Neuizan. in sylua. lib. 4. versi. Etsi habeat vxores. num.* 88. Vnde, & legibus, & foris generalibus Aragonum erũt obstrictæ: ita argumentatur Cæphal. *consi.* 169. *num.* 6. quo loci singulariter animaduertit, minime resistere, quod locus Masini, (de quo fuerat consultus,) confugerit aliquando ad statuta villæ propinquioris, videlicet ciuitatis Nouariæ. Nam inquit Cæphalus, (non propterea fieret, quominus de iure eo casu vti deberet statutis Mediolani, tãquam loci, superioris, & dominantis, non autem Nouariæ, vel alterius loci, cui nullo modo Masinus est suppositus) idem ex communi resolutione Doctorum intulerat Bursat. *d. consi.* 189. *nu.* 40 *præsertim ex Ruino consi.* 39. *in* 1. *num.* 121. his verbis: *Et dictum amplians num.* 121. *in casu, quo subditi Castri in aliquibus, & quandoque statutis Parmensibus vsi fuerint, cum dominis dicti loci præiudiciũ non attulerit.* Et ad hoc quod legibus Turolẽsib⁹ Escriche & villæ quæ intra Cõmunitatẽ, & Comitatum Turolensem reperiũtur, illius foris ligarentur, non solũ oportuisset ab eadem Communitate non esse separatas, nec alij dominanti addictas, supremis videlicet Regni magistratibus, nec a legibus eiusdem Communitatis exẽptas, sed oportuisset, quod expresse verbis saltem generalibus essẽt prefatis foris comprehensę in omnibus, & per omnia: vt probat Alexan. *consi.* 82. *num.* 17. *in* 3. *& ponderat Carpanus d. c.* 153. *num.* 8. *&* 9. Apparet autem in occurrenti casu in omnibus, & per omnia contrarium, cum sit manifestum, villã de Escriche, & cæteras pro formali esse de Regno, & ex consequenti solum situm materialem habere communem cum Turolo & ipsius Communitate (particulare enim dominium, quod ipsa ciuitas prætendit, non magis illam constituit Communitatis partem, quam constitueret alibi sita, & quã sint villæ Comitis de Fuentes.) Insuper & planissimum est, villam de Escriche, & cæteras pro formali, accessorie, & dependenter esse de Regno, & foros generales toti Regno fuisse conditos, exceptis tantũ Albarrazino, Turolo, suis aldeis, ac villa de Mosqueruela, quibus nominatim Turolenses fuere constituti, vt ex his indubium videatur, vrgentissime, & vehementissime de iure præsumendum fore (semota omni probatione,) foros generales Aragonum apud Escriche vigere & viguisse.

Sed do parti aduersæ, quod præcedentia non fuissent tam euidentia, & quod ambiguitas protenderetur adeos quoq; terminos, vt dubium esset, cui adijceretur dominanti Escriche, an Regno Aragonum, an cõmunitati Turoli, nec essemus certi (prout sumus certissimi) quibus oppidis

dis editi fuerint fori generales, & quibus Turolenses, essetque præcise dominationis vestræ iudiciũ hac in parte ferendum ex viribus probationũ, nec tunc minus confidenter illud pro don Dionysio expectarem, pro quo vtrique fori clamant, cui variæ scripturæ suffragantur, & pro quo denique in substantialibus, ex concessis etiã ex aduerso, veritas consistit processalis. Interest enim lõgè, lateq; ꝙ videmus ibi in cõstitutione iustitiæ, & iudicis ordinarij, priuatiue ad Turolensem, absque vmbra aliqua iudicum, aut iudiciorum Turolensium de Plazos, Padron, y Viernes, sicut & in alijs Villis cõsistentibus materialiter intra cõmunitatem cum immediato recursu ad suprema Regni tribunalia, solemniq; præstatione iuramenti per officiales de Escriche, de obseruandis foris Aragonum, obtentione iuris firmę per Garsiam Martinez de Marzilla priscis temporibus, longo inquã hæc omnia interuallo præcellunt alijs probationibus, condemnationis ad nouem, captæ possessionis ab emptoribus de Esceriche, & aliorũ id genus, que introduxit vicinitas ad Turolum, & incolatus in ea dominorum de Escriche. Quorũ etiam respectu nec est inferior probatio D. Dionysij, præsentim quo ad solemnitates instrumentorum absque commemorarione quod de die, & non de nocte reciperentur, quę non erat peculiaris solemnitas instrumentorum venditionum, vt replicabatur ex foro *Siguientment. fol.* 61. *col.* 3. *& alibi*, sed communis omnium, demptis testamentis, vt ipsa ciuitas articulauit artic. 7. schedulæ Dicendo, coram Iudice à quo, sunt tamen illa omnia leuissima, & nullius ponderis, comparata cũ constitutione tribunalis, & exercitio omnimodę iurisdictionis, quæ cum non solum sit conformis foris Turoli, sed illis omnino repugnans, futura non est, iuxta leges Francigenas, aut alterius remotioris Prouinciæ, sed iuxta leges, & foros generales Aragonum, quibus ab integro consonat, & ex toto conuenit. Nec disconuenit in formula iuramenti, quoniã collatis foris Turolensibus, apparet manifeste, aliam præscriptam fuisse cursoribus, aut inferioribus ministris formam iuris iurandi, aliam superioribus iudicibus, vt lectura fororum in informationibus constitit, quæ morari nos vlterius non deberẽt: cũ ridiculum videretur ex additis illis verbis in iuramento, magis arguere ad obseruantiam fororum Turoli, quam ex substantia iuramenti explicite facta, de obseruãdis foris Aragonum, & ex constitutione vniussolius iudicis, in quibus non solum obseruantia, & vsus fororum Aragonum, consistit elucet, & probatur, sed in gradu eminentiori, quò substantialia, ab accidentalibus, differunt.

Quid? ex foro *Todo Cauallero. fol.* 13. *col.* 3. *in fine.* refertur forma iuramenti Iudicum ordinariorum: & foro, *Por quanto. fol.* 16. *col.* 1. & foro *E la eleccion. fol.* 42. *col.* 3. in quibus nulla mentio, diuitis, aut pauperis, quæ commemoratio solum habetur in forma iuramenti

menti curſorum,& aliorum mini ſtrorum inferiorum, Foro *Encara el Iuez. fol.* 14. *col.* 4. *Foro Siguient-ment. fol.* 17. *col.* 2. *Foro Mando mas. fol.* 19. *col.* 3.

Addiderim denique, quod quã uis motiuum aſſerat, ex foris Turoli apparere, eos dari ſolitos alijs quoque villis conuicinis, illis foris id a parte aduerſa ipoſſitum eſſe.

Secundum dubium.

ETiam ſi in villa, ſeu pardina de Eſcriche, & eius terminis ante illius executionem, & trançam, ac etiã tempore dictæ executionis, ſolum obſeruatos fuiſſe foros generales Aragonum conſtaret, adhuc iuxta foros dicti Regni, vtique potuiſſe videtur per Iudicem ciuitatis Turoli, hac de re cognoſ-
a *ci.* [a] *Cum Petrus Sanchez Muñoz eo tempore inchoatæ executionis, nec dominus, nec poſſeſſor dictæ pardinæ de Eſcriche extiterit, in ciuitateque Turoli domicilium, tunc temporis habuerit dictus Petrus Sanchez Muñoz, & ſic Iudicem ciuitatis Turoli, fuiſſe Iudicem competentem reſpectu Petri San-*
b *chez Muñoz,* [b] *dicendum videtur. Ciuitas autem Turolen-*
c *ſis nihil opponit aduerſus executionem,* [c] *trançam, & venditionẽ factas dictæ pardinæ de Eſcriche: vltra quod iuxta foros Turoli, nobiles, infanciones, ac domini vaſſallorum, & Vniuerſitates, ac Concilia locorum, ſubſunt Iudici ciuitatis Tu-*
d *roli, eiuſque iuriſdictioni.* [d]

a *Vtique potuiſſe videtur per iudicem ciuitatis Turoli hac de re cognoſci.* Nullo modo conſequentia hæc ſtante veriſſimo huius dubij aſumpto, & præſuppoſito, quod Eſchriche populata eſſet, & gubernaretur ad foros Aragonum, tenet: quod videlicet nihilominus, decerni potuerit executio à Iudice Turolenſi, & per ipſum in ea procedi: aduerſantur enim apertiſſime obſeruantiæ Regni, & potiſſimum *obſeruan. Item ſi agatur.* 10. *de foro compet. cum his, quæ retuli in allegatione, num.* 9. qua cauetur de Caſtro, aut ipſius ratione ſuprema tantũ Regni Tribunalia ſe implicare & cognoſcere poſſe, vſque adeo, quod ex lege generali Aragonũ nec reali, nec perſonali actione, Turolen. Iudex nec aduer ſus

sus Petrum Muñoz, nec aduersus ciuitatem Turoli Castri cum iurisdictione possessores eius ratione potuisset esse competens: imo, & receptissimæ iuris communis traditiones non solum ea data verissima hypothesi, sed vbi admitteremus contrarium, quod villa de Escriche populata esset iuxta foros Turoli, quia nihilominus extra territorium Iudex Turolensis cognoscere non potuisset, vt in sequenti dubio.

b *Fuisse iudicem competentem respectu Petri Sanchez Muñoz.* Competens fuit ad monendum ipsum, vt solueret sexcentos illos solidos, & præterea ad decernendum simplex, & generale decretum, q̃ bona ipsius subhastarentur, & distraherentur: nominatim vero, & in particulari decernere, nullo iure, nullis ve foris potuit executionẽ, & venditionem Castri, & terminorum de Escriche consistentiũ extra territorium suæ iurisdictionis, vt vtrique parti est in confesso: ac proinde intrat tunc nullitas ex defectu iurisdictionis, quam in indiuiduo, & nominatim, & per se exercere non poterat iudex Turolensis in Escriche (vigerent in ipsa quiuis fori) extra territorium suæ iurisdictionis, *l. fin. de iurisdictione Bart. & alij per Carpanum ad statuta Mediolani.* 1.*p. c.* 5.*num.* 61.

c *Ciuitas autem Turolensis nihil opponit aduersus executionem.* Nimirum, cum euim vt totius huius facti series demonstrat, ciuitas eadem emisset villam de Escriche a Petro Sãchez Muñoz, inefficaciter ob fideicommissa, quibus mox a Gaspare fuerat subiecta, nec soluerentur ab eadem ciuitate emtrice, & possidente duo pensiones, quę debebantur Eleemosynæ dõ Francisci de Aranda, executioque ad subuertendum fideicommissum fieret, non est cur ciuitas quicquam venditioni prefatæ curiæ obijciat. Don Dionysius autem auito fideicommisso vocatus, de nullitate opponit.

d *Subsunt iudici ciuitatis Turoli, eiusque iurisdictioni.* In personalibus actionibus, & forsam in realibus respectu bonorum intra territoriũ iurisdictionis iudicis Turolensis, nobiles, infanciones, domini vassallorum, & concilia locorũ iuxta foros Turoli subdebantur iudici Turolensi, ceterum, villa de Escriche populata ad foros Aragonvm, ea lege non comprehendebatur, nec etiam quod populata admitteretur ad fōros Turolenses, inde potuisset idem iudex extra territorium vires & iurisdictionem protendere, vt statim infra.

Tertium dubium.

Iudex ciuitatis Turoli, & Iudex domicilij Petri Sanchez Muñoz executionem habuisse videtur, & iurisdictionem
a *contra bona debitoris alibi sita.* [a] *Quantumuis enim sententiam*

ſecundum iuris, & fori ordinem a ſe latam, non potuerit ipſe in alieno territorio vel exequi, vel executionem eius alteri mādare: b [b] *tamen ad dicti Iudicis Turolenſis ius dicentis præces, & eius literas requiſitorias Iuſtitia & Iudex Pardinæ de Eſcriche vice iudicantis, & tanquam eius executor, & tanquā* c *organum,* [c] *& inſtrumentum præcipientis primi Judicis iudicatum, executionem ſcilicet, dictæ pardinæ exequi potuiſſe videtur, iuxtà receptam Scribentium cenſuram, & traditionem.*

a *Et iuriſdictionem contra bona debitoris alibi ſita.* Imo nullam habuit directam, & immediatam iuriſdictionem iudex Turolenſis ad diſtrahendam villam de Eſcriche extra territorium ſuæ iuriſdictionis ſitam, habuerit quantumuis iuriſdictionē ad commonendum Petrum Sanchez Muñoz, quatenus ſolueret dictos ſexcentos ſolidos, & in ipſius contumatiam ad decernandam executionem bonorum eius, quod decretum tantū afficeret bona ſita in territorio ius dicentis. Villa autem de Eſcriche alibi conſtituta, tunc triplici tantum via executioni demandari, ac vendi poterat, omni tamen coram peculiari iudice de Eſcriche (miſſam modo facio priorem nullitatem, & prius fundamentum, quod Eſcriche per ſolas Regiam Audientiam, & curiam Domini Iuſtitiæ Aragonum diſtrahi, & ſubhaſtari potuerit.) Prima, directo cum inſtrumento cenſuali, tanquam aduerſus pignus ſpeciale executionem petendo. Secunda, actione in factum, orta ex ſententia condemnatoria, & executionis lata in contumatiam Peri Sanchez Muñoz moniti. Tertia, per iudicis officium mediantibus litteris deprecatorijs, requſitorijs, & mutui compoſſus iudicis Turolenſis competentis reſpectu perſonæ directas iudici de Eſcriche competentis ratione bonorum, *gloſ. & Bart. in l. à Diuo Pio. §. fin. de re iudi. & in l. fin. vbi plenius, C. vbi in rem actio, c. 1. de offi. ordi. c. 1. §. contrahentes de foro com. in 6. optimè Papienſis in forma. executionis ſententiæ diffinitiuæ, nu. 13. Bart. in l. ſed ſi poſſeſſor. de iure iur. cū multis Carpan. 1. p. ſtatum Mediolam, c. 153. rubrica. de executionibus, num. 8. & 9.* Quod ſi diligenter litterę narratiuæ perpendantur, nullo ex his medijs executio facta apparebit. Quoniam 19. Octobris 1549. facta inueſtigatione bonorum mobilium Petri Sanchez Muñoz, fuit decreta executio, & ſubhaſtatio villæ de Eſcriche, & illam commiſit proprio curſori, vt apparet ex literis narratiuis pag. 5. tamē in eiſdē literis narratiuis nō refertur Iudicē de Eſcriche executionē aliquo ex præfatis tribus medijs decreuiſſe, ſed nulliter decretam extra territorium à Iudice Turolēſi executioni demandaſſe in vim prouiſionis iudicis requirentis

rentis absque aliquo decreto iudicis territorij requisiti: quod tanquam vasis & fundamentum executionis fiendæ, præcedere debuisset. Nisi dixerimus eo ipso quod defacto exequebatur, implicitè illud decreuisse censendum esse, in quo non immoror.

b *Vel exequi, vel executionem eius alteri mandare.* Certissimi iuris esse videtur, Iudicem Turolensem in alieno territorio, & sic apud villam de Escriche diuersi territorij, & eandem exequi non potuisse, neque executionem cursori, vel nuncio proprio, imo nec Iudici de Escriche commisisse, vel delegasse: extra territorium enim in illis omnibus nulliter procedebat. *Rolādin. Cauagnolius decisi. 1. ex num. 1. Bimius consi. 278. ex num 27.*

c *Tanquam eius executor, & tanquam organum.* Limitat dubium, præcedēs iuris axioma aduersus don Dionysium, vt potuerit ad præces Turolensis, Iudex villæ de Escriche tanquam organum, & instrumentum primi Iudicis præcipientis decretum, aut iudicatum illius exequi, sic executionem ab eo decretam facere. Subtiliter dubium vti videtur magistralibus terminis, quibus vsus fuit Baldus *consi. 156. numer. 2. in 5.* Sed bene perpensus, non solum non obloquitur Baldus, verū mirum in modum don Dionysio suffragatur. Nam *d. nu. 2. versi. & non obstat si dicatur.* in eo themate decreti de mittendo creditore in possessionem bonorum sui debitoris, illud, a Baldo generale præsupponitur, dum vero venitur ad executionem decreti ad bona immobilia alibi sita, clare inquit Baldus, executionem realem faciendam esse a Iudice loci, vbi sunt bona, quod neutiquam intelligerem de executione nudi, & solius facti, sed quod substantialiter prius executio sit decernenda, aut haberi pro decreta a iudice loci bonorū, vel actione in factum nascente ex decreto generali Iudicis competentis ratione personæ, proposita coram Iudice bonorū, vel ad præces, & requisitionem Iudicis personæ. Sed hoc quoque casu, qui noster in dubio reputatur, procedi non potest immediate, & directo in vim decreti Iudicis personę, sed indirecte, & obtento decreto, vel de mittendo in possessionem, vel de exequendo a Iudice bonorum, deincepsque recte executio fiet. Et longe facilius esse videtur, quod absque mandato speciali Iudicis personæ de exequendo, Iudex bonorum illud decernat, & exequatur, quam è contra, quod ex particulari decreto Iudicis personæ, & absque decreto Iudicis bonorum, ea executioni tradantur. Et hoc neutiquam fit per viam delegationis: quia realis missio delegari non potest, *vt ex l. iubere cauere. de iurisdictio. Baldus obseruat vbi supra num. 2. ante finem.* Et etiam, quia delegatio extra territorium delegātis, fieri non posse videtur: sed Iudex loci bonorum, tametsi requisitus, a Iudice personæ præcipiente, & cognoscente, vt vel primū, aut secundum decretum, quo ille pronuntiauit actorem, seu creditorem esse mittendum in possessionem bonorum debitoris causa rei seruandæ, vel distrahenda fore ipsius bona, vt de pretio debitū persoluatur,

ſoluatur, id decernere,& ſtatuere debet in vim propriæ iuriſdictionis per ſpeciale decretum, quippe cum latum a Iudice perſonę,bona alibi ſita minime afficiat, nec cōprehendat opus eſt miniſterio, & iuriſdictione Iudicis territorij bonorum: tuncque nec violatur regula *l.vbi cœptum. de iudicijs.* cū mediantibus literis mutui compaſſus, geſta ab vtroque Iudice ſic connecti, & ſubordinari videantur,vt totum ſit vnum ſtructum, vt Bald. profert. *d.conſi.* 156. *verſi. Vnde ille.* qui propterea duobus abſoluit illud conſilium: alterum eſt, executionem verbalem decerni quidem poſſe a Iudice perſonæ: realem autem committendam eſſe (quod ego intelligo remittendam) Iudici bonorum: alterum vero, quod Iudex perſonæ mixtum imperium habere debet, vt decretum ipſius de mittendo in poſſeſſionem operetur. Quod tamen hodie in praxi non requireretur, ſi tamen Iudex, qui executionem decernit, competens ſit ratione bonorum, aut ſi ſit competens tantum ratione perſonæ, creditor habitis ab illoliterisrequiſitorijs de immittēdo vel deexequendo,efflagitet, & obtineat aliud nouū decretū, & prouiſionem a Iudice bonorum,ad habendam bonorum poſſeſſionem, vel ad ipſa exequenda, & diſtrahenda, quantumuis virtute ſolius ſententiæ latæ a Iudice ratione perſonæ competentis, ac requirentis.

Nec arbitretur quiſquam per pautiora hæc fieri potuiſſe in noſtro caſu, & ſuperſtitioſe deſiderari nouum iſtud,&particulare decretum decernendum a Iudice de Eſcriche: cum fuerit ſatis, ipſum, exequendo prouiſionem Turolenſis,occupaſſe, & apprehēdiſſe Caſtrum de Eſcriche,& mandaſſe illud diſtrahi,& ſubhaſtari, ſic occupatum. Quia imo præcedere neceſſario debuiſſet prouiſio de exequendo, ab ipſo facienda in vim propriæ iuriſdictionis excitatę per Iudicem requirentem, cuius prouiſio,& decretum ſpeciale diſtrahendi,& ſubhaſtandi villam deEſcriche extra territorium ſuæ iuriſdictionis ſitā, omni caruit effectu. Et quatenus Bald.in fine dicti conſilij reſoluit, quod ſi Florentinus habito decreto de mittendo in poſſeſſionem rerum vbique poſitarum, vt habeat bona alibi ſita,impetrat literas, & producit eas, intelligendum eſt quamuis non exprimat, coram Iudice bonorum, qui decernat in vim propriæ iuriſdictionis, licet requiſitus ab alio Iudice perſonæ, ipſius decretum eſſe executioni demandandum, alias non diceretur ſeruatus iuris ordo, nec poſſet fieri executio: & hanc exiſtimo eſſe vniuerſalem praxim literarum requiſitoriarū, cui minime ſatisfactum videri debet, ex quo Iudex de Eſcriche tāquam merus executor Iudicis Turolenſis, occupationem, & executionem fecerit, prout ſonat in factum:decernere enim illam in vim propriæ iuriſdictionis, prius debuiſſet,ex eademq; propria iuriſdictione illam ad effectum perducere.

Ijs Dominatio veſtra opponebat, Iudicem de Eſcriche ſubſidialibus literis requiſitum a Turolenſi

rolensi meri executoris vice fungi, Iudicis requrentis, nec propterea opus fuisse ipsius decreti, aut prouisionis de exequendis illis literis. Esto enim, quod implicitè ex executione facti, suppleri posset huiusmodi prouisio, est tamen sumopere aduertendum Iudicem alieni territorij abusiuè, & impropriè dici executorem Iudicis requirentis in eo sensu, quod nec debet, nec potest de viribus sententiæ latæ a requirente, quam exequitur in bonis sui territorij cognoscere: ac ipse exequitur principaliter, & in vim propriæ iurisdictionis, quam Iudex ratione contractus, aut personæ, ab eo mẽdicatur, ita componerẽ Practicũ Papiẽsem, *d. forma executionis sententiæ diffini. numer.* 14. & *Carpanum d.* 1. *p. c.* 158. *nu.* 17. quod tamen vt ex ipsis apparet sic intelligendum est, vt de meritis sententiæ Iudicis requirentis non se intromittat. Omnis autem notio, quã requirit processus executiuus, qui a se profluit, & inchoatur ad ipsum pertinet, vt longè proprius loquutus videatur Colerus *de proces. executiuis.* 2. *p. c.* 3 *num.* 19. dicens Iudicem requisitum vice prioris iudicantis, in alieno territorio iurisdictione carentis, sententiam exequi. Vnde duo nascuntur pro causæ decisione notanda. Alterum, quod superfluo, ac innaniter Turolensis in executione procedebat in alieno territorio. Alterũ, quod nulliter Iudex de Escriche processit assignando partibus ius petitioris, quod illud deducerent coram Iudice Turoli, quasi substantiam executionis ad eum incompetenter remittens. Iura enim eflagitantia a Iudice bonorum fieri debere executionem non sunt nominaliter intelligenda, vt nudum factum illi remisserint, sed vt cũ effectu, substantiam processus executiui eidem commisserint. Vnde & alterum oritur sæpe in hac causa notatum, quod cum processus executiuus pependerit coram Iudice de Escriche, literæ narratiuæ ab eo, non autẽ a Iudice Turolensi requirente ob incompetẽtiam, petẽdæ & cõcedendæ erant: Nec alias probant gesta corã illo, sed solum fuisse coram se relatum mediantibus literis responsiuis, ita gestum fuisse.

Denique annoto Iudicem de Escriche requiri, & exequi potuisse, si de bonis particularibus, nempe de aliqua domo, vel fundo disceptatio versaretur. At ex toto, & ex vniuerso Castrum, & terminos de Escriche, subhastare magis non potuit, quam si alia villa Regni possessa ab aliquo Turolensi esset distrahenda, aduersus quem ratione incolatus posset Turolensis generalem executionem decernere, literisque subsidialibus villam distrahere facere, sed non coram dictæ villæ Iustitia, sed coram Tribunalibus supremis Regni, quod extra disputationem videtur ex hipothesi, quam habet præsens dubium, quod fori generales Aragonum vigerent apud Escriche. Sed idem futurum videtur, & si ad foros Turoli diceretur populata, quoniam id non extenderetur in præiudiciũ supremæ iurisdictionis Regiæ Audientiæ, & huius Curiæ, in re nunquam vsitata, non solum vbi certi sumus de obseruantia fororum Aragonum in illa, verum & si incerti, & dubij essemus.

Quartum dubium.

